

**Lignum colubrinum leviter delineatum ... / publico examini submittit Johan.
Andr. Darelius.**

Contributors

Darelli, Johan Anders af, 1718-1780.
Linné, Carl von, 1707-1778.
Uppsala universitet.

Publication/Creation

Upsaliae : [publisher not identified], [1749?]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/m7799err>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D. A.

LIGNUM COLUBRINUM

LEVITER DELINEATUM,
EX CONSENSU AMPLISS. FACULT. MED.
IN REG. ACADEMIA UPSALIENSI,

P R Ä S I D E

VIRO CELEBERRIMO ET EXPERIENTISSIMO
**DN. Doct. CAROLO
LINNÆO,**


S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO,
MED. ET BOTAN. PROFESS. REG. ET ORD.
ACAD. IMPER. MONSPEL. BEROLIN.
STOCKHOLM. ET UPSAL. SOCIO,
PRO GRADU DOCTORIS RITE OBTINENDO,
PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

STIPENDIARIUS REGIUS

JOHAN. ANDR. DARELIUS,
W-GOTHUS.

IN AUDIT. CAROL. MAJ. AD DIEM XI. MART.
ANNI MDCCXLIX.
H. A. & P. M. S.

U P S A L I A E.



INTRODUCTIO.

I.



uemadmodum Medicina, stricte
sic dicta, unice circa morbos
versetur propellendos, hi autem
medicamentis arceantur necesse
est; ita duplii illam fundamen-
to, cognitione scilicet Morbo-
rum & Medicaminum inniti in
propatulo est. His itaque ful-
ctis nisi superstructa fuerit Me-
dici Theoria, non solum incerta erit omnis ejus Pra-
xis, sed sa penumero etiam periculosa & nociva. Ver-
bo: Empirici instar tota die vacillabit.

II. Præsidia contra morbos e triplici Naturæ Re-
gno depromuntur: suntque vel *Esculenta* vel *Toxicæ*; Hæc sanitatem expugnatam, corpus mutando, pristi-
no restituunt statui; Illa sanitatem, corpus conservan-
do, contra quoslibet morborum insultus muniunt. Phar-
maca & Venena ita distingvi, ut venena, et si parva do-
si exhibeantur, corpus destruant, non vero item
Pharmaca, haud pauci opinantur. Hanc vero distin-
ctionem tanquam noxiā Hæresin e Medicorum ter-
ritorio eliminandam censemus. Quum enim omnia ve-

A

nena,

nena, instar fortissimorum sint armorum, quibus vel
sævissimi, teste quotidiana plurimorum Medicorum ex-
perientia, debellantur morbi, quis prudenti artemque
suam bene callenti Medico, pro re nata, illa præscri-
bere negaret? Juxta tamen haud immemores simus tri-
tissimi non minus, quam verissimi, illius: *Medicamen-
ta præstantissima, in manu imperiti, sunt uti gladius
in dextra furosi.* Venena itaque justa proportione &
dosi propinata, *Medicamenta* nobis audiunt *Heroica.*
Nonnullorum sententia de Venenis plus Materiæ Me-
dicæ adtulit detrimenti, quam aliis unquam error vul-
garis; id, quod exemplis Opii, Chinæ, Arnicæ, Mer-
curialium &c. abunde constat, a quorum usu respu-
blica Medica, certis temporibus, non sine insigni plu-
rimorum hominum sanitatis & vitæ jactura, quam ma-
xime abhorruit.

III. Ne extra oleas, quod dicitur, vagari videa-
mur, intra cancellos Medicinæ hodiernæ nos, oportet,
contineamus, ea consideraturi remedia, quæ in
Officinis hodie prostant Pharmaceuticis, & Medico
Practicō usui esse poslunt, ac debent. Horum quæ-
dam Europa e suo exporrigit finu, quædam asportan-
tur ab Arabibus, quædam extremis ab Indis, quædam
aliunde. Unde vero cunque proveniant, boni haud
dubie est Medici nullum illorum adhibere, nisi probe
exploratis cujuscunque viribus & natura. Summa igitur
Medici cura maximumque studium erit, ut *Officinalia
Medicamenta* rite cognoscantur, & cognitorum cuilibet
morbo apta feligat. Quive horum selectum cum ad-
curata morborum historia conjunxerit, is eruditus Me-
dicus, is felix Practicus, merito salutatur.

IV. Ad perfectam Materiæ Medicæ cognitionem
maxime omnium requiritur illa, quam cujusvis ME-
DICAMENTI HISTORICAM nominamus. Doctissi-

morum, omnium temporum, Medicorum in hoc studio-
rum genere adeo non negamus vigilantiam, ut medica-
mentorum cognitionem Illustrium Illorum diligentiae at-
que experientiae nos debere ingenue fateamur. Nescio ta-
men, qui factum sit, ut nonnulla adeo inveterave-
rint, ut eorum vel originem vel usum plane ignore-
mus. Veteres præstantissima sibi cognita habuisse me-
dicamenta, quorum jam memoriam oblivio delevit,
nemo, qui opera DIOSCORIDIS, ubi medicaminum
vires & usus proponuntur, perlustraverit, eat, spera-
mus, Inficias. Quoniam vero descriptiones Simpli-
cium, illo tempore, parum erant curæ cordique, nec
artem eadem adumbrandi delineandique callueruntan-
tiqui, non mirum est, quod posteritas perplurima eo-
rum vel ignoret, vel non nisi difficillime detegere
queat. Hoc perpendentes eruditi Medicorum hodier-
ni, summo studio in id incubuerunt, ut adcuratam
& distinctam cognitionem traderent Simplicium Offi-
cialium, ne futura secula in eam, sub qua superiora
ingemuerunt, horum ignorantia & desuetudine, in-
currant barbariem. Tali ratione omnium Simplicium
distinctos nobis formare possumus conceptus, pauca
si exceperis, quæ, longissime a nostris dissitarum, re-
gionum populi ad nos transmittere sverunt. Exo-
ticorum vero hoc difficilius comparari potest aliqua no-
titia, quod vix aliis, quam nautis & indoctis homini-
bus, sola ista invisere contingat. Quo factum est, ut
nos Myrrham, Bedellium, Sagapenum, Elemi, Ca-
rannam, Ammoniacum, Anisum stellatum, Ebenum,
Aspalathum, Aloes Lignum, Olibanum, Myrob. inda,
citrina, Bellirica, Chebula, & alia olim laudatissima
pariter ac usitatissima remedia, in tanta hodie Medi-
cæ scientiæ luce, non secus, ac circa Nativitatem
Christi, ignoremus. In detegendis incognitis ejusmo-

di Officinalibus operam collocarunt Saniores Medici non perfuctoriam. Exempli loco sit Cortex Chinæ, qui ante paucos annos primum rite fuit detectus, examinatus & certis usibus destinatus *), ut & *Cascarilla*, quam nuper constitit esse speciem *Clutiae*; ut *Contrajervam*, *Senegam* aliasque taceamus. Hæc considerantes orbi cordate erudito, non injucundam, nosmet existimavimus præstituros operam, si unicum remedium, quod hactenus, situ & squalore obductum, spissis sepultum jacuit tenebris, in claram protahere possemus lucem. Scilicet, **LIGNUM COLUBRINUM** nobis injunximus examinandum atque describendum. Etenim Pharmacopolæ id cum aliis confundentes interdum promiscue dederunt, unde Medici effectum haud optatum experti, ab ejus medicamenti, licet pretiosissimi, usu desistere coacti fuerunt. Nec mirum: eadem enim fata omnia adulterata subeunt remedia. Sic, cum Pharmacopolæ Hypochærīm loco *Arnicæ*, Centauream loco *Scabiosæ* & Lathræam loco *Dentariæ* non raro substituant, factum est, ut optima hæc tria remedia abierint in desvetudinem. Pari ratione Lignum Colubrinum, cum a peregrinatoribus imperfekte esset descriptum, cum duobus aliis, ab hoc diversis, vegetabilibus confuderunt; eundem cum Nostro effectum daturis. Ut vero clarum de hoc Ligno nobis formemus conceptum, ab ovo, quod dicitur, oportet incipiamus.

V. Inter admiranda naturæ Phœnomena, venenata illa præsidia, quibus providentissimus Creator certa quædam animalia, utpote Scorpiones, Scolopendras, Formicas, Apes, Colubros instruxit, haud infimi sunt ordinis. Modus, quo serpens mordeat, non parum torfit

*) Conf. Experientiss. Prof. Lundens. D. EB. ROSE. NII Diss. de China.

torsit magna eruditorum ingenia. RHEDE rem acutetigisse videtur, docendo lethales serpentes mordere majoribus maxillæ superioris dentibus, mobilibus illis, excavatis, ad apicem leviter perforatis, & sub basi vesicam foventibus refertam liquore, qui vulneri sub ipso morsu injectus causa est symptomatum, quæ morbus serpentum sequuntur. Cæteroquin adeo mitis est hic liquor, ut sine periculo ab homine sano degluti-ri queat. Dum vero vulneri instillatur & sanguini tanquam per siphonem immiscetur, symptomata creantur unicuique serpentum speciei propria: sic morsus Aspidis inducit Somnum, Cerastris Tetanum, Viperæ Icterum, Sepis Gangrenam, Dipsadis Polydipsiam, Presteris tumorem *).

NAJA.

VI. Inter serpentes maxime venenatus est, vulgo & Ceilanensibus, NAJA dictus.

Coluber scutis abdominalibus 193, squamis caudalibus 98. *Syst. Nat.* 6. n. 89. f. 7.

Serpens Indicus coronatus Diadematæ seu conspicilio insignitus. *Raj. Quadr.* 330.

Vipera Cobras de Cabelos, Naja dicta. *Kempf. amœn.* 565. *tab.* 567.

Angvis conspicillo insignita. *Amœn. Acad.* 112.

Serpens Indicus coronatus diadematæ seu conspicilio insignitus, lusitanis Cobras de Capello dictus. *Seb. thes.* 2. t. 90. f. 1.

Serpens malabarica diadematæ coronata sive conspicilio insignita, Cobra de Capello dicta. *Seb. thes.* 2. t. 85. f. 1.

Serpens ex regno peru conspicillo insignita. *Seb. thes.* 2. t. 85. f. 1.

* *Amœn. Acad.* p. 142.

Serpens

Serpens Naja siamensis cum conspicillo seu **Cobra de Capello**, vel **Cabelo** dictus. *Seb. thes. 2. t. 89. f. 1.*

Serpens cum conspicillo minor. *Seb. thes. 2. t. 89. f. 2.*

Serpens indicus cum conspicillo lepide circulatus. *Seb. thes. 2. t. 89. f. 3.*

Serpens brasiliensis cum conspicillo cordis oculati formam habente. *Seb. thes. 2. t. 89. f. 4.*

Serpens indicus Naja seu **lusitanis Cobra de capello** dictus maximus conspicillo notatus, mas. *Seb. thes. 2. t. 97. f. 1.*

Serpens indicus seu **Cobra de Capello femina** sine perspicillo. *Seb. thes. 2. t. 97. f. 2.*

Serpens Ceilanica conspicillo notata seu **Cobra de Capello**. *Seb. thes. 2. t. 97. f. 3.*

Serpens conspicillo ornata ex nova hispania. *Seb. thes. 2. t. 97. f. 4.*

Cobra de capello femina sine perspicillo. *Seb. thes. 2. t. 90. f. 2.*

Naja Zeilanensis.

Cobras de Cabelo Lusitanis in india degentibus.

HABITAT in india orientali præsertim in Zeilona.

Differentiæ specificæ hujus serpentis sunt: cutis ab utroque *cervicis* latere, dum irritatur, expansio, haud dissimilis illi sciuri volitantis saltus facturi; cutis, circiter spithamam, ad utrumque latus elongatio; signum in occipite conspicillo haud dissimile, quod constans est, et si color hujus & interdum totius corporis variet. *Scuta abdominalia* a Cl. MULLERO Prof. Petropol. & illust. Equite de SAGRAMOSO in museo Petrop. nec non a Cl. Prof. KALMIO in Museo Sloaneano Lond. numerata sunt, qui, quod vidi in litteris ad Nob. D. Præf. missis, omnes in eo convenient, quod scuta abdominalia numero sint 193 & *squamæ caudales* constituant paria 60.

KÆMPFERUS, qui in india ipse hunc serpentem vedit, de eo refert: *Ferox & hominibus infensisima est bestia, qui mordendo exitiale virus instillat vulneri, nam ab eo qui mordentur subito anxietates cordis & Lipothymias patiuntur, neglectoque alexipharmacis maturo usu, convulsi moriuntur.* Vel sumto serius antidoto, partis læsæ Gangrenam raro effugiunt difficulter sanabilem: inde nullum aliud serpentum, quam hoc, genus nudipedes indos timere & cavere videris. Obtinet vipera hæc 3 vel 4 pedum longitudinem, crassitatem mediocrem, cutem squamatam & decore striatam, tensam, asperam, coloris ex fusco nigricantis, in abdomen albidi. Habet hoc lacesita singulare, quod utroque cervicis latere cutem inflare & in orbem planum sive compressum, ad instar alæ vel vittæ, extendere soleat. Vitta illa in dorso exactissimam imaginem exhibet conspicilli albido colore delineati, cuius orbiculi in expansa utrinque vitta, & quæ hos connectit, arcus in ipso capite expressi sunt. p. 565.

RAJUS quadr. 318. Serpentis hujus virus observatione illustrat notatu dignissima. Indus quidam serpentem magnum adduxit, afferit eundem esse innocuum, & serpentem prius flagellatum sinebat mordere brachium nudum, sanguinem emanantem femori imposuit; deinde alium minorem Cobram de Capello-venenatissimum sumfit, cervice serpentis constricta, liquoris ex vesiculis maxillaribus circiter gr. I. expresit, & sanguine coagulato supra femur imposuit, cui quamprimum admiscetur, miram illico ebullitionem & effervescentiam excitat, fermenti modo agens, illumque in colorem flavum immutavit. Paucis dicam: serpens hic in india adeo exitialis est, ut quilibet, licet cetera serpentum genera parum curet, ad hujus tamen visum exhorreseat, maximeque omnium virulentus. *Hinc juveni a Naja*

Naja morsō, dum alter cupit exsugere venenum, ipse intra horam linquens moritur. Eodem auctore. Quapropter Circulatores hos prae aliis serpentes incantant, referente Kämpf. p. 566, cum stupenda spectaculibus ostendere volunt.

M U N G O S.

VII. Pauca etiam de Mustela quadam Mungo dicta, commemoranda censemus.

Mustela glauca Syst. Nat. 6. n. 9. §. 9.

Viverra indica, Qwil & Qwirpele dicta. Raj. quadr. 197.

Viverra indica ex gryseo rufescens. Raj. quadr. 198.

Mustela seu Viverra indis Mungutia, lusitanis Mungo, batavis Muncus. Kämpf. animæn. 574.

Qwil vel Qwirpele, Garz. arom. 163.

HABITAT in ASIÆ fervidis.

Figura Sciuri, eo tamen paulo major & gestibus tardior, pilis ornatur glaucis, in cauda longioribus ex atro ad decorem interpunctis. Kämpf. 574. Hoc animal Najam ita sectatur, ut felis apud nos murem. Quamprimum enim serpens in ejus venit conspectum, cum eo belligerare incipit; si tum a serpente mordeatur, exurrit ad vegetabile quoddam inquirendum, quo manducato, statim revertitur bellum renovaturum. Indi sibi persuadent mustelam edere radicem, quæ ipsis Mungos audit, & eatenus veneno liberari. Illust. Peregrinator Kämpferus, qui ipse demitam habuit hanc viverram, contubernalem, commensalem, & quocunque siverit, comitem, dicit se vidisse hoc certamen; sed quamnam radicem quæsiverit viverra, certo definire non potuit. Quidquid horum sit, & utrum Mustela hæc antidotum Colubri detexerit an non, verum tamen est, contra morsum Najæ, sacræ instar anchoræ, esse radicem

radicem quandam indicam, quam nobis proposuimus
investigandam.

VIII. Quænam vero sit illa radix, quæ in india
contra morsum Najæ adeo specifica est, ut in Ame-
rica radix Senegæ contra morsum Crotalophori, de-
hac re tot fere sunt sententias; quot autores, qui hu-
jus mentionem fecerunt. Neque hoc miremur: Me-
dici enim Europæi, ob nimiam locorum distantiam,
& nondum institutas in has regiones excursiones Bo-
tanicas, exactam hujus radicis descriptionem compa-
rare nequiverunt. Hinc Garzias eam *Lionum Colubri-*
um, Kämpferus *Mungum*, Grñius *Ekaweryam* &
alii aliter vocant.

GARZIAS.

IX. GARZIAS ab HORTO in *historia Aromatum apud indos nascentium*, qui historiam Ligni Colubrinii dedit, primus est. Lib. I. c. 44. Non modo adversus animalium, virus ejaculantium, morsus ictusve efficax
est Lignum Colubrinum sive potius radix, sed etiam contra lumbricos, papulas, exanthemata, impetigines, cholera, febres &c. In Zeilan insula serpentis genus est, cobras de Capelo, maxime noxiun. Est item ani-
malis genus magnitudine viverræ huic serpenti inimi-
cissimum, Quil & Quirpele vocant. Quotiescumque cum
serpente congressurum est hoc animal, istam radicem ea
parte præmordet, qua denudata est. Præmorsa radice,
pedibus anterioribus saliva conspersis, corpus sibi de-
mulcet; postea serpem aggreditur, nec dimittit eum,
donec occiderit. Hoc spectaculo edocti Chingalæ hanc ra-
dicem venenis resistere didicerunt. Hinc sole clarus
constat, Garziam & Kämpferum unum eundemque
serpentem, eandem mustelam, eandemque radicem ad
umbraffie;

umbrasse : Confusa autem idæa genuini Ligni Colubrini inde orta est, quod GARZIAS sub nomine LIGNI COLUBRINI tres diversas descripscerit species, quas omnes in insula Zeilana crescere tradit. Harum specierum characteres præcipuos feligemus, ut inde quodnam sit genuinum illud Lignum COLUBRINUM concludi queat.

a) Lignum Colubrinum Primum & Laudissimum illud est, a quo subsidium querit viverra, vocaturque incolis Rametui. Duorum vel trium palmorum magnitudine affurgit, paucis virgulis, & aut sunt taxat tenuibus. Radix quæ maxime in usum venit, veluti tenuiorum nostrarum vitium radices, multis capitibus aut nodis se propagat, ita ut semper radix aliqua extra solum se exserat. Radix hæc ex candido cinerea est, solida admodum, amaro gustu. Folia persistæ, magis tamen virentia. Flos longe a foliis racematum cohæret, pulcherrimo colore rubens. Fructus samuci, sed rubens & durus, racematum cohærens, veluti in Periclymeno.

b) Secundum genus veluti primum adversus venena commendatur. Arbor est punicæ similis spinis brevibus & firmis horrida, cortice candido, denso, rimoso, solido & amaro, non tamen veluti prioris cortex. Foliis est luteis, aspectu pulcherrimis. Hanc autem, si juxta aliam quamquam arborem proveniat, per summos ejus ramos serpere atque cucurbitæ modo amplecti ferunt. Solet Lignum cum radice & cortice exhiberi; prefertur tamen radix. Hoc nunquam vide re mibi contigit.

γ) Tertiuum genus e Zeilona est, cuius radices sunt tenues, durae, nigrae, odoratae, ramos habet

paucos, tenues, 4 aut 5 cubitorum longitudine, qui, nisi alligati, sustentare se nequeunt, sed per solum sese diffundunt. Folia rara, lentiscinorum effigie, oblonga, non viridia, sed maculosa, sive nigricantibus ex candido maculis respersa.

FRAGOSUS.

X. FRAGOSUS in historia aromatum ex utraque india Lib. 3. c. 37. de Ligno Colubrino agit. Chingale Lignum Colubrinum venenis resistere didicunt. Quia in Zeilana insula, Colubri genus est coronatum summe venenatum, contra quod pugnare volens animalculum magnitudine viverræ, lignum hoc præmordet vel radicem ejus e terra nonnihil prominentem, pedibus saliva inunctis corpus demulcet. Tria hujus Ligni genera inveniuntur in Zeilana. a) PRIMUM & LAUDATISSIMUM est frutex, 2 vel 3 palmorum altitudine, 4 vel 5 ramis tenuibus, foliis persicæ, flore racemato, coloris helvi, fructus sambuci, sed rubente & duro. Radix similis est radicibus parvis nostrarum vitium, nodosa, densa, coloris cineritii, & amara. b) SECUNDUM genus est arbor punice simili, spinis brevibus & firmis, floribus flavis & rarae pulchritudinis. y) TERTIUM genus est arbor parva cum paucis ramis, qui nisi in altum ligantur, sustentare se nequeunt, sed per solum sese diffundunt. Folia habent pauca lentiscinorum effigie, oblonga, non viridia, sed maculosa ex candido nigricantibus respersa. Radices sunt tenues, nigræ & odoratæ. Hinc evidens est, quod Fragosus in omnibus Garziam fuerit imitatus, addens tantum se vidisse fragmentum primæ speciei cum cortice extrinsecus instar populi albæ, intrinsecus

secus colore medio inter venetum & flavum. Hoc autem ipso rem confundit, quoniam species, quam videbat, secunda erat, non vero prima.

KÆMPFERUS.

XI. KÆMPFERUS in amœn. exot. p. 577. ita radicem suam MUNGOS dictam describit. Planta, cui ab amaricie indi, a viverra lusitani nomen dedere, patriam habet Javan, Zeilanam, Sumatram. Radix simplex, spithamea, digitæ crassitie, crebro vagoque flexu intorta: Cortice fungoso, rufo, rugoso; Substantia lignosa, dura, fibrarum expertise, fragili, albida, amarissima instar gentianæ, sed subtilioris & minus integrati saporis. Caulis rectus, tenuis, æqualis, pedalis: ramulis variis alterne adversis. Folia opposita, raria, angusta, uncialia, lanceolata. Pedunculi ex axillis surculorum, 2 vel 3 digitorum transversorum longitudine. temues, decidui. Flosculi circiter 50, præparavi, in plures fasciculos digesti, & in umbellam tantillam, quam ungve obumbres, conglobati, pulchre rubentes, nudi, tubulati, 5 aut 6 laciniis. Fructus pendicillo insidens, didymus, fastigiis divaricatis, rotundus, parum compressus & turbinatus, osseus, magnitudine semenis coriandri, cute carnosa, nigricante aut pallente, nucleo albo, pingvi, fatuo.

GRIMMIUS.

XII. GRIMMIUS (Nic.) Medicus Svecus, qui diu in india hæsit, In Laboratorio suo Zeilanico p. 116. hæc habet. Radix Serpentum EKAWERYA dicta, pulcherrima planta est, in altum exsurgit cum ramis tenuibus, foliis longis, acuminatis. Radix cum nodis sub terra, valde lignosa, alba, fuscæ, cortice cinereo, sapore amaro. Hæc est prima species, quam Garzias ab Horto inter ligna serpentum describit. Vires

res ejus non minores, quam eae, quas magna Serpentum arbor possidet. Incole plurimum eam extollunt contra omnia venena. Hinc manifestum est, Grimmii speciem Ligni Colubrini fuisse primam (IX. x.) eamque genuinam; ejus vero magnam serpentum arborem esse secundam speciem, in sequentibus ostensuri sumus.

HERMANNUS.

XIII. HERMANNUS (Paul.) in *Cynosura Mat. Med.* p. 234. *Lignum Colubrinum*, quod prostat in officinis, potius radix est, quam truncus, ex arbore Timorense, cui radix lignosa, brachium crassa, solida, ponderosa, amarissima, inodora, cortice ex fusco ferrugineo, subinde maculis cinereis notato. Idem Hermannus in *Museo Zelianico* p. 55. NAGHAWALLI colubrina Zeilanica, periclymeni species, foliis maculatis; transfertur ex monte Adami. A Nagha, Colubro appellato, cuius iefus hujus plantæ folia mirifice & specificie sanant. Idem ibid. p. 37. EKAWERYA, periclymenum zeilanicum herbaceum, foliis variegatis, diversicoloribus maculis ornatus. Parad. Bat. Prod. p. 363. Hinc videmus, quodnam vegetable, ad mentem Hermanni, sit Ekawerya Grimmii (XII). Hoc Par. Bat. Prodromi periclymenum Plukenetius in *Photograph. Tab. 212. f. 6.* delineavit.

ACOSTA.

XIV. Sic adparent vestigia, quibus insistentes, obscuram hanc de Ligno Colubrino materiam indagare potis sumus, ut tandem certo constet, quænam planta genuinum Lignum exhibeat Colubrinum; quid reliquæ duæ species Ligni Colubrini apud Garziam; quid Mungos Kæmpferi, Ekawerya Grimmii & Naghawalli Hermanni significant. Præter hos, Acosta, Camellus & Rumphius species nonnullas ligni colubrini descripsérunt.

ACO-

ACOSTA duas exhibuit species e Malabaria defumtas, quarum Figuras habet *Dalechampius in Appendice historiae pl. Lugdun.*

1. **LIGNUM Colubrin.** primum *Acosta p. 276. Dalecham hist. 1911. f. 1.*

Clematitis malabariensis, folio vitis, colore draconculi. *Bauh. pin. 301.* videtur esse Ari aut Draconculi species.

2. **LIGNUM Colubrin.** secund. *Acost. 276. Dalechamp. hist. 1911 f. 2.*

Clematitis malabariensis altera, radice serpente. *Bauh. pin. 301.* imperfecte descripta.

A L I I.

XV. CAMELLUS etiam duas recenset species **Ligni Colubrini** seu *Mununga*, ex insulis Philipinis, quas *Rajus in hist. pl. vol. 3. Dendrolog 119.* propofuit. Ambae vero ita imperfecte sunt descriptae, ut huic rei nihil lucis adferant.

RUMPHIUS etiam **Ligni Colubrini** speciem edidit, quam vocat *Cajular* admodum a ceteris diversam. Has autem varias Botanicorum discrepantes sententias conciliare non facimus nostrum, impræsentiarum contenti, quodnam sit genuinum illud **Lignum Colubrinum Officinale**, ostendisse.

L. COLUBRINUM I. VERUM.

XVI. GARZIAS primus *Lignum Colub.* detexit, idque in Zeilana crescere, a *Mustela* quadam contra Morsum *Naje* (ut §. IX. diximus) comedи, gentemque illud eontra eundem morsum, tanquam specificum, usurpare patet. **KÆMPFERUS** idem (§. IX.) in india audivit, vidiisque *Najam*, *Mustelam* & radicem *Mungos*. Kæmpferi descriptio cum Garziæ (9) in omnibus adeo ex ase convenit, ut nullum superfit dubium, quin Kæmpferi

pferi Mungos (7), & Garziæ Lignum Colubrinum Laudatissimum, unum idemque sit vegetabile. HERMAN-NUS in Zeilana degens de Naghawalli seu Colubrina Zeilanica p. 55. refert, quod mirifice & specifice sanet ictus Colubri, Naghæ s. Naje. In Hermanni proprio vidimus herbario, Naghawalli ab eo ipso in Zeylana lectum, una cum ejus nomine & viribus, propria manu adscriptis; ut certo sciamus hoc & Ophiorhizam *Fl. Zeylan.* p. 402. specie non differre. Conferendo hanc cum Garziæ & Kämpferi plantis, idem esse vegetabile liquet. RADIX enim *amara supra terram* eminet; Caulis unam, vel maximum duas spithamas, alta est; FOLIA lanceolata persicæ; FLORES sunt rubri racematin coherentes. Hæc ultima nota specialissima est, a Garzia, Kämpfero & Grimmio sedulo adnotata, in que alia planta rarissima. Kämpferus etiam monet flores esse digestos in *umbellam tantillam*, quam ungue obumbres, quod convenit cum Ophiorhiza florescente, et si racemi deinde concrescant, dum fructum maturare incipiunt, qui didymus est & semina coriandri magnitudine æquant. Contra ea OPHYOXYLUM *Fl. Zeil.* p. 398., nec flores habet rubros, nec eos tam exiguos, ut microscopio conspiciantur, nec bina gestant folia opposita, sed 4 folia decussatim & verticaliter opposita. Hinc intelligitur Hermannum errasse dum suam Ekaweryam genuinum esse Lignum Colubrinum existimavit. Concludimus itaque Lignum Colubrinum maxime genuinum & optimum esse ac dici debere

Ophiorhizam *Fl. Zeil. 402. Mat. Med. 79. t. 1.*

Mungos radix. Kämpfer. ff. amæn. 577.

Lignum Colubrinum laudatissimum. Garz. arom. 163. Clematididem indicam, foliis persicæ, fructu periclymeni, Bauh. pin. 301.

Radix

**Radix Serpentum Ekawerya dicta Grim. Labor. Zeyl. n^o 6.
Crescit in ZEYLONA, JAVA, SUMATRA.**

XVII. Dolendum autem est, præstantissimam hanc radicem, confusa ejus cognitione, adeo raram & obfletam factam esse, ut in nullo Pharmacopolio Europæ obtineatur, sed in locum hujus frustula ligni cuiusdam arboris longe diversissimæ substituantur. Ut itaq. Medici in posterum signa habeant, unde hæc radix dignoscatur, eadem heic dabimus. Radix erit simplex, nec longior spithama, nec digito crassior, curvata, undosa, flexuosa, lignosa, dura, fragilis, albida, amarissima: Cortice rugoso, fungoso, rufo. Quæ vero radix omnibus his non gaudet characteribus, nec laudatissimum Lignum Colubrinum salutari potest.

L. COLUBRINUM 2 OFFICINALE.

XVIII. LIGNUM COLUBR. secundum Garziæ, ARBOR est spinis brevibus, quæ si juxta aliam quamquam arborem proveniat, ejusdem ramos amplectitur. FOLIIS esse luteis arborem hanc tradit Garzias, cum tamen re ipsa viridia sint. Sed observandum folia in omni Strychno per exsiccationem tantum lutea evadere, & Garziam, ut ipse fatetur, arborem ipsam nunquam vidisse. Hæc itaque arbor species est Nucis vomicæ, quod Hermannus in Mat. Med. Dalæus & alii tuto afferunt.

STRYCHNOS foliis ovatis, cirris simplicibus. Linn.
Mat. Med.

Solanum arborescens indicum, foliis napecæ majoribus magis mucronatis. Breyn. prod. 2. p. 301.

Clematitis indica spinosa, foliis luteis. Bauh. pin. 301.

Modira-Caniram. Reed. Malab. 7. p. 10. F. 5.

Lignum Colubrinum. Dal. Pharm. 358.

Crescit in TIMOR, ZEILAN & MALABARIA.

Hoc est illud Lignum, quod in nostris Europæis Pharmacopoliis prostat. Hujus SIGNA vera sequentia sunt:

Radix lignosa, brachii crassitie, solida, ponderosa, acria, amarissima, inodora, cortice ferrugineo maculis cinereis notato. Lignum Colubrinum, ex officinis nostris, transversim dissectum fibris s. potius laminis albis, numerosis confertis, e centro ad peripheriam ductis, neo non aliis circularibus remotissimis albis, inter quas cellulæ quadratae, cavæ, laminulis transversis passim intertextæ. Fistulae aliquot cylindricæ angustissimæ perpendiculares minutissimæ in singulis cellulis resident. At vero, cum plurimæ cellulæ vix unam alteramve fistulam ferant, vacuae saepius conspicuntur, hinc ligni substantia valde spongiosa est & porosa, licet simul dura.

L. COLUBRINUM 3. PEREGRINUM.

XIX. LIGNUM COLUBRINUM tertium *Garziae RAMOS* habet tenues, 5 cubitorum longitudine, flaccidos, FOLIA maculosa, sive nigricantibus ex candido maculis resperta. Hoc itaque Vegetable, præcipue a Plukentio, fideliter delineatum explicatur.

Periclymenum Zeilanicum herbaceum, foliis variegatis diversicoloribus maculis ornatis. *Herm. prodr. 363.*
Pluk. Alnag. 287. t. 212. F. 6.

Clematitis indica foliis lentiscinis, candidis maculis adspersis. *Baub. pin. 301.*

Ekawerya. *Herm. Zeyl. p. 37.*

Crescit in Zeylona. Non obtinetur in nostris Pharmacopoliis. Radices tenues sunt, duræ, nigræ & odoratæ.

VIRES L. VÉRI.

XX. Ex præcedentibus videmus 3 Species Ligni Colubrini inter se & genere & specie & virtute differentes. Ne itaque vires unius speciei tribuantur diversis, non modo speciebus sed & generibus, in animum induximus harum trium specierum vires medicas sigillatim exponere.

RADIX SERPENTUM f. L. Colubr. Laudatissimum (§. XVI.), quo carent Pharmacopolia nostra, virtutibus gaudere infra recensendis, scriptores testantur fide dignissimi.

GARZIAS p. 164. Radix ex vino aut aqua Cordiali propinatur a Serpente Naja percussis: Teritur et jam & vulneribus inspargitur; & plura §. IX.

KÆMPFERUS 577. Radix adsumitur cum ad præservationem, tum ad curationem, ab inferendo vel illato Veneno, drach. 1. vel dimidiæ pondere, cum haustu aquæ dulcis, vel cujusvis liquoris, five rudi frictione five cultiori modo in pulverem redacta. Vel puls ex pulvere radicis cum sputo vel aqua facta impunitur. In febribus putridis morbisque malignis, radice feliciter usus est, & multis successibus infallibili adversus canis rabidi morsum in brutis æque ac in hominibus.

GRIMMIUS lib. 116. refert chinghalenses eam extollere contra omnia venena, venenosos morbos, ictus venenatos serpentum, Rabiem, Synochium &c. Dosis est ex dimidia ad unam drachmam. Idem celeberrimus olim Medicus, qui in Columbo Zeilana diu degit, ligno Colubrino pluries usus est, ut patet ex Ejus comp. Med. Chym. Viennæ 1684 edito, ubi sequentia habet,

PRÆPARATA e Ligno Colubrino.

Spiritus in Mixtulis sudoriferis scrup. j-3 fl. In Scorbuto, Paralyse, Colica, Scirro hepatis, Arthritide. Uti patet ex pag. 99. 101. 178. 218. 354

Essentia in Mixt. Sudorif. gt. XX - 3 fl In convulsione, Ictero, Hydrope, Febre intermittente, Arthritide, Siphilitide. Ex pag. 78. 125. 238. 327. 328. 329. 355. 366.

Sal. Fixum. ex Pharmac. indica p. 464.

COMS

COMPOSITA in quibus recipitur Lignum Colubri-
num ex Pharmac. Indica.

Tinctura Bezoardica p. 423. e Ligno.

Acetum Bezoardicum p. 426. e Ligno.

Extractum Alexipharmacum pag. 427. e Ligno.

Liquor diaphoreticus p. 427. ex Spiritu.

CONJUNGITUR Lignum Colubrinum ab autore
communiter cum Ligno *Ebano*, uti viribus huic ad-
modum affine.

LOCHNERUS *) radicem Mungos in Purpura ma-
ligna eximiam prædicat. *Dosis* Pulveris 3*fl. Scrup.*
2, in infuso Theæ vel alio adpropriato liquore.
pag. 84.

Compositum ex hac radice est *Lapis de Goa*, secun-
dum auctorem pag. 87; cuius formulam, cum
minus frequens sit, heic addere lubet.

Lapis de Goa.

Rec. Rad. Mungos.

Angelic. afric.

Serpent. Virg.

Contrajerv. ana 31.

Pulv. e typhis Cerv. Zwelf. Scrup. 4.

Chel. 69. marin.

Corn. Capræ bezoard.

Alcis philos. ppt. ana 3*fl.*

Spin. Viperin. Scrup. 1.

Ambr. griseæ.

Mosch. orient. ana qv. insig.

m. f. pulv. subtiliss. sup. porphyr. levigand.

& mediante gummi aliquo combinand.

in formam subglobos. auro obducend.

BON-

*) **LOCHNERUS** M. FR. *Mungos Animalculum*
Radix. Norib. 1715. in E. N. C. cent. 3. append.

BONTIUS †) radicem ligni colubrini, ligno aloës magis amaram, extollit contra Tineas, Lumbricos, Ascarides, Ictus venenatos. Fr. Intermittentes, nec non contra febrem Tymorensem, quæ Synochus ex Santalo est. p. 30.

VIRES L. OFFICINALIS.

XXI. LIGNI COLUBRINI vulgaris s. 2:di Garziæ, quod in officinis nostris adservatur (§. XVIII). vires ita exposuit HERMANNUS in *Mat. Med.* 235. Ligni usus non est nisi annosioris; recens enim primo anno maniam, tormina, hinc vomitum & tandem convulsiones excitat. Laudatur in *Febribus intermittentibus*, quartanis, nec non *vermibus* necandis, sed deleteria gaudeat facultate.

RAJUS hist. 2. p. 1807. Commendatur adversus *venena*, veluti primum Lignum scil. Laudatissimum & eodem modo usurpatur.

HEIDE centur. obs. 7. Ad febrem quotidianam scandam adsumfit tornator quidam pulverem circa vesperam. Subiequenti nocte sese satis bene habuit, sed mane surgere & corpus movere fatagens sentiebat tremorem in membris; accersitus exhibui mixturam hypnoticam, & intra paucas horas tremore liberatur æger. Ejusd. Ligni 3ʒ assumta a muliere cachectica præter tremorem excitavit & stuporem, ita ut ægra nullius rei curam haberet, nesciens se esse in mundo vel vive-

†) BONTIUS Jacob. Hist. nat. & Med. Ind. Orient. Aust. 1658. fol. pauca de ligno colubrino habet. p. 46. refert. Cobram de capello serpentem esse parvum, crassitie digiti, supra nigrum infra flavum. Observavit Maurum ab eo morsum in pollice, qui brachium itaque arctissime ligari concessit, et træ dolore vinculum obnoxie laxari oraret, quo factio confessim expiravit.

vivere; curatur mixtura hypnotica. Retulit illustris Domina famulum suum ab adsumto hoc Ligno instar fatui extitisse.

ERGO usus arboris contra Febres intermittentes, morsus serpentum & vermes. Dosis unc. § ad sumnum in decoctis, vel 3 § in Effentiis: Ligna enim rarissime in substantia propinari debent.

Etsi tremores & stupores lignum hoc, secundum Autores nominatos, caussatum fit, e materia tamen medica non magis illud censemus ejiciendum, quam vinum e re cibaria, quod etiam in nimia dosi ingurgitatum eundem fere habet effectum. Prudentis enim Medici est dosis remediorum juste determinare, & hac arte e venenis saluberrima propinare medicamina, ut idem patet ex Opio, Senega & aliis heroicis medicamentis.

VIRES L. PEREGRINI.

XXII. Lignum colubrinum tertium Garziæ (§. XIX.) Veneno arcendo, & venenatis sagittis obtundis idoneum esse fertur, id vero, cum, non tantum, ac priora illa ligna, adhuc meruisse laudis famam, neque a Botanicis rite cognitum & examinatum fuisse, constet, id sicco, quod ajunt, jam præteriisse pede reliquias non duximus.

XXIII. Ophioxylon foliis quaternis, Fl. Zeil. 398. Linn. Mat. Med. 474, teste Hermanno & Burmanno, serpentum morsibus, venenis & venenatis morbis opponi solet; sed quod, uti medicis magis ignotum, nostrum non facimus. Dosis est unc § in infuso.

EMENDANDA.

P. 3. l. 28. cognoscantur, lege cognoscat. p. 4. l. 28. Bdellium, lege Bdellium. p. 8. l. 12. fusco, lege fusco. p. 13. l. 3, lege ipso.